

notat productionem mundi à DEo, abstractè à circumstantiis illius, & in oppositione cum ad existentiam mundi à se, tum ad ortum ejus fortuitum, doctrina hæc articulus fidei mixtus erit. Nam ita creatio solâ ratione, præterquam quod Scriptura eam testatur, cognosci potest. Optimè AUGUSTINUS *Lib. XI. de Civ. DEI Cap. 4.* formatæ, velut objectionis loco, quæstioni: *Sed quid placuit DEo aeterno tunc facere cælum & terram, quæ antea non fecisset?* subdit: *Quid hoc dicunt? si mundum fuisse æternum sine ullo initio, & ideo nec a DEo factum videri volunt, nimis aversi sunt à veritate, & letali morbo impietatis insaniunt. Exceptis enim prophetiis vocibus, mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrimâ specie quodammodo tacitus, & factum se esse, & non nisi à Deo ineffabiliter atque invisibiliter pulchro fieri se potuisse proclamat.* Quibus LUD. VIVES *Comment. h. l.* addit: *Casu aut fortuito credibile non est factam esse rem maximi ordinis, nec aliam, quam summum potuisse summi operis, aut aliam, quam pulchrum pulcherrimi parentem esse. Omnes Philosophorum scholæ, quæ divinius aliquid sapuerunt, nihil esse, quod tam arguat & factum esse a DEo mundum, & ejus cura administrari consensu unico affirmant, quam aspectum ipsum mundi totius considerationemque decoris ejus atque ordinis.* Quod si hacratione concludere, mundique ortum naturaliter agnoscere, & ex eo agnito DEum cognoscere homines non valerent, non video, quomodo illi ἀναπολόγητοι fieri & esse possint. Nec capere me posse, fateor, quomodo illi, qui argumenta ab ordine partium rerumque mundanarum ad causam ordinantem, & ab artificiosâ mundi structurâ ad auctorem ejus causamque DEum concludentia fallaciæ à dicto secundum quid ad dictum simpliciter accusant, uti fit. à DN. WOLFIO *l. c. §. 41. 42.* quamvis propterea eos non temerè Atheismi arguere velim, hoc suum assertum cum Paulo conciliaturi sint, non solum attestante, DEum se hominibus manifestasse, siquidem invisibilia ipsius à creatione mundi operibus intellecta perspiciuntur, æternaque ipsius potentia & DEitas; sed & argumentum hoc adeò firmum pronunciante, ut homines

per